

248,
34—36248,
37—49

Expugnata civitate hac venit ad eam rex cum exercitu suo, predam divisit et quatuordecim diebus de rebus regis Bohemie, quas in civitatem istam deduxerat, exercitui suo rex necessaria tribuit habundanter. Per hanc civitatem obsessa post fuit Viennensis civitas, quod regi Bohemie non poterant commode subvenire nec nominatus rex poterat eos a regis Romanorum dominio liberare. Viennensibus sic in periculo constitutis, quid facere possent, ignoraverunt, postea vero deliberacione facta cum rege Romanorum composuerunt et civitatem suo dominio tradiderunt. Insuper ab eis fuit donis magnis et optimis honoratus. Cum sic Viennenses a suo domino recessissent et regem Romanorum pro domino receperissent, mox a rege Bohemorum pueros suos, [quos] ^{x)} obsides sibi dederant, pecierunt. Rex autem reddere pueros denegavit et contradixit. Tunc Viennenses exercito congregato regis Bohemie terminos intraverunt et expugnatis municionibus et civitatibus pluribus ad propria redierunt. Videns autem rex Bohemie, quod non posset regi Romanorum resistere, humiliavit se et commisit se gracie sue. Tunc principes reges sub his condicionibus concordabant, quod rex Bohemie filiam suam ¹⁷⁰⁾ filio ¹⁷¹⁾ regis Rûdolphi matrimonio copularet, regalia sua, sicut deceret, ab ipso recipere deberet et trecentos milites cum equis falleratis in exercitu regis ducere, quando vellet. Et per hoc omnis inimicicia odiumque penitus sit compactata, sublata et abolita.

(248,
50—249, 14)

fol. 186r

Rex Bohemie multis militibus, equis, vestibus deauratis gemmisque decoratis se preperavit, ut regalia statim a rege Romanorum susciperet. Hec cum principes sui, id est regis Rûdolphi, intellexissent, regi cum gaudio retulerunt dixeruntque: Domine rex, preperate vos sicut decet regem vestibus preciosis! Tunc rex dixit: Rex Bohemie griseam vestem meam sepius derisit, nunc autem eum mee vestes grisee deridebunt. Post hec notario suo dixit: Da pallium tuum | michi, ut rex Bohemie meam derideat paupertatem. Adveniente rege Bohemorum dixit rex Romanorum militibus suis: Armis vestris induimini, dextrarios ^{y)} vestros loricat et, ut melius poteritis, ad bellum vos preperate! Utramque partem vie, per quam rex venturus est, personaliter occupetis et armorum Theutonico-^{z)}rum ^{z)} gloriam barbaris nacionibus ostendatis! His ^{a)} sic ad regis

^{x)} fehlt in der Hs.^{y)} Hs. dextrarios^{z)} Hs. theutonicorum^{a)} Hs. wie auch S und C hec

¹⁷⁰⁾ Kunigunde, geb. 1261, verh. 1290 mit Boleslas, Herzog von Masovien; gest. 1321 als Äbtissin von St. Georg in Prag.

¹⁷¹⁾ Hartmann, geb. 1263, gest. 1281. Die Heirat wurde in den Friedensschluß vom 21. 11. 1276 aufgenommen (vgl. RI, Nr. 623), wurde aber nie vollzogen.